



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiæ,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

CL. V. D. Henrico Cvyckio, Vniversitatis Lovaniensis Cancellario, &  
Ecclesiae D. Petri Louanij Decano, Maecenati suo, S. P.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

CL. V. D. HENRICO  
CVYCKIO, VNIVERSI-  
TATIS LOVANIENSIS  
Cancellario, & Ecclesiæ D. Petri Loua-  
nij Decano, Mæcenati suo, S. P.

**I**BELLVM De sacra militia  
Ducum & Principum Brabantie  
Ioannis Molani, Theologi nuper  
Louaniensis, viri cum in omni  
historiarum genere, tum vero in  
sacra potissimum versatissimi, à T. D. typogra-  
phis tradendum, dici non potest quanta cum  
animi mei voluptate perlegerim. Continere enim  
mihi visus est non contemnendam patriæ huius  
Belgicæ historiam, cum eorum qui Brabantia,  
Lotharingia olim nuncupatae, præfuerunt, res ge-  
stas ordinemq; gratissima breuitate describat.  
Paucos sanè inter tot huius sæculi historicos fuis-  
se existimo, qui tanta diligentia patriæ suæ Dñ-  
ces, eorumq; victorias sacras conquisiuerint:  
ut eam ob rem Molano præ ceteris facile hic fi-  
dam. Conscriptis autem hæc ipse, non ex suo  
conficta cerebro, aut à vehementiori aliqua ani-  
mi affectione commotione vel minimum pas-  
sus: sed ex vetustissimis, quæ nusquam non per-  
lustrauerat, ciuitatum Belgicarum monumentis,  
& antiquæ fidei historiographis non paucis. So-  
let enim hic plurimum ab historicis plerisque  
peccari; qui, dum ex animo sæpe laborant, minus  
curiosi

curiosi sunt, minūsq. in ijs, quæ necessaria quodā-  
 modo videantur, adiiciendis elaborant: taceo quod  
 historiam suis quandoque scriptis, quām alioquin  
 futura esset, obscuriorem reddant. Quaratio-  
 ne iniquè atque iniuria cum nobilissimis Lotha-  
 ringie nostræ Ducibus à non paucis actum est:  
 qui dum eorum historiam vel ex professo scribere,  
 vel suis inserere scriptis conati sunt, nescio an  
 veterum ope destituti, an ex affectu rem estiman-  
 tes, turpissimè eam lacerarunt. Ut multum  
 Brabantia nostra Molano debeat, qui, ut nullus  
 ante eum historicus, integrum exactamq; Du-  
 cum seriem ex vetustissimis fidissimisq; diuer-  
 sarum quoque nationum historicis, in hoc libello  
 contexuit: à quorum fide usque adeò disceden-  
 dum sibi non esse videtur existimasse, ut parum  
 Latinas alioquin ipsorum locutiones in suos li-  
 bro transferre non dubitarit. Itaque hoc conse-  
 cutus est, ut nec fides eius in controveriam cadat;  
 & historiam pluribus locis valde obscuram &  
 intricatam, multo reddiderit illustriorem. Quo  
 argumento quid de Martyrologio Belgico eruf-  
 dem Auctoris, nondum edito, sperandum sit, col-  
 ligi potest. Interea verò, quod pauca quædam  
 esse viderentur in opere iam nono, quæ pluribus  
 quandoque verbis explicata curiosus historiæ  
 lector existimauerit, tuo in primis hortatu ins-  
 suq; V. Cl. ea ad historiam sacram notaui, quæ  
 clariora ex profana historia reddi posse arbitra-  
 bar. Quod cùm facere incepissem, in eumq; usum  
 Auctoris historiam Louaniensem XIV. libris com-  
 prehensam

prehensam à tua Dn. accepissem, gauisus profecto fui, quod ea, quae notanda mihi iam antea videbantur, explicatoria pleraque in magno isto opere continerentur; quodq; ea quae studiosè future iam notationi cōscripseram, ab ipso etiam Molano notata fuisse viderem. Itaque, post habitis etiam ceteris, Molanum Molano ferè, si quid opus esse videbatur, explicavi. Cumq; non parum lucis adferat, eorum, quos legis præfuisse, genus atque originem ante oculos habere, adiunxi historiam Regum Sicambrorū, à quibus eorū qui ante Pipinūl. Brabantiam rexerunt, origo deducitur; ex quibus se prognatos esse nobiliores etiamnum Principes gloriantur. Ea siue vera sit siue falsa narratio, certè Hunibaldi est vetustissimi scriptoris, qui tempore Clodouai primi Christiani Francia Regis per 900. amplius elapsos annos, historiam contexit. Ex illa deinde continuam quandam genealogiam ac seriem Belgarum Principum, eorum quorum hoc libello fit mentio, ad Philippum usque II. potentissimum Hispaniarum Regem deduxi: ne quidquam, quod ad illustrandam Brabantinorum Ducum historiam pertinere possit, omisisse viderer. Ea verò omnia eo mihi loco futura statui, quo T. D. futura cognouero. Bene vale Mæcenas optime.

Cl. D. T. deuinctissimus

Pet. de Lou Siluad.

A D